

sanctitatis et reverentiam divinae consecrationis dissolvitur et profanatur. Ita ille antiquus humani generis hostis quondam per Balthasar impium et sacrilegum regem vasa domus dei aurea atque argentea polluit²⁴⁷: Nunc per istorum profanam insolentiam atque impietatem multo pretiosiora et deo cariora commaculare et ludibrio atque insultationi daemonum subiicere non cessat. Hi sunt publici raptores et praedones cum satellitibus et sociis impietatis suae non alicuius hominis exteriores res vel substantiam devastantes, sed ipsius omnipotentis dei familiam depopulantes. Cum quibus utique nec cibum sumere oportet, sicut de omnibus rapacibus apostolica auctoritas praescribit²⁴⁸. In quibus isti primum obtinent locum, raptores videlicet viduarum et puellarum et sanctimonialium, contemptores sacerdotum, violatores templi dei non timentes illud apostolicum: *Si²⁴⁹ quis autem templum dei violaverit, disperdet illum deus*. Et recte, si aliquod templum dei ex lignis et lapidibus manu factum incenderent sive destruerent, ab omnibus sacrilegi et puniendi iudicarentur. Quanto magis, qui dei vivi templum vivumⁱ subvertere et dissipare non metuunt, dum ex raptu arbitrantur fieri posse coniugium et ex iniquo contubernio legitimum matrimonium, quod nulla unquam lex, nulla humanitatis consuetudo permisit? Nam et in exordio mundi ad propagationem generis humani masculum et feminam deus fecit eosque sua benedictione coniunxit dicens: *Crescite²⁵⁰ et multiplicamini*.

CAPUT V. Cuius rei imitatione etiam sancta ecclesia antiquitus solemniter et venerabiliter custodivit eos, qui in illa velut in paradyso dei coniugio copulandi essent, divina benedictione et missarum celebratione coniungens. Quae videlicet honesta et religiosa coniunctio, deo auctore coepta et eius benedictione firmata, etiam inter gentes, quae nullam legem acceperunt, nullam dei habuerunt notitiam, legitimo ordine et naturali lege servata est. Nec unquam rem pacis, caritatis atque concordiae per discordiam et violentiam et impietatem fieri licitum fuit. Testantur hoc publicae Romanorum leges, quibus orbem universum vivere sub sua dominatione constituerunt. In quibus manifeste praecipitur et viros raptores et feminas raptas, si eis, sive ante raptum, sive post raptum, consensum praebuerint, poenis ultimis esse

i) fehlt Si.

247) Vgl. Dan. 5.

248) Vgl. 1. Cor. 5,11.

249) 1. Cor. 3,17.

250) Gen. 1,28.